IN DEI NOMINE AMEN

NOS JOSEPH MANCINI

DEI, ET S. APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS SENARUM

S. D. N. GREGORII PP. XVI. PRÆLATUS DOMESTICUS

PONTIFICIO SOLIO ADSISTENS

ET SENENSIS I., ET R. UNIVERSITATIS MAGNUS CANCELLARIUS

Universis, et singulis ad quos praesentes Nostrae Litterae pervenerint salutem, et prosperos ad vota successus.

Praeclarissimae bonarum Artium, ac Disciplinarum altricis, atque patronae Senarum pervetustae Universitatis, cujus longe, lateque a priscis usque temporibus tot Virorum illustrium cumulatae meritis, atque doctrinis nomen clarissimum sonat, illud quasi religio semper fuit, ac sacramentum, eos dumtaxat ad Doctoratus, et Magisterii splendidissimam dignitatem extollere, singularibusque privilegiis, honoribus, et gratiis, quibus Pontificum, ac Caesarum munificentia pollet, condecorare, quos longo studio, labore, vigiliis se doctrinae penitus mancipasse, scientiarumque non limina solum, sed penetralia ipsa, arduumque culmen, ad examinis certamen evocatos, verissimis testimoniis adeptos fuisse deprehenderit.

Quod a Patribus acceptum, ac per saeculorum vicissitudines ad Nos usque sartum, tectum, inviolatumque perventum, nunc eo magis servandum putavit, cum repentino morbo pene correpta, ad novam veluti vitam FERDINANDI III. Austriaci Parentis Optimi, Principis providentissimi sapientissimo consilio, ac beneficentia, fuit olim revocata, nec est quod florentissimas aetates illas, quibus undique Adolescentes honestissima laudis cupiditate incensi ad eam confluebant, amplius invideat.

Cum ergo egregius D. *Angelus Mazzoni de Torrita* in Jure Pontificio, et Caesareo sollicitam, diligentemque per quadriennium, et ultra in hoc I., et R. Senarum Athenaeo operam navaverit, suique ingenii, et virtutis specimen dederit luculentissimum, Doctoralem Lauream assequendi ingenuo flagrans studio, ac desiderio, Nos, ut ipse voti sui compos pro meritis evaderet, Illmum, ac Rmum D. in utroque Jure, et S. Theologia Doctorem, Metropolitanae Ecclesiae Nostrae Canonicum Poenitentiarium Vicariumque Nostrum Generalem Dominicum Menichetti ad hoc specialiter deputavimus, quo coram et Illmis DD. Provisore, et Juris utriusque Professoribus I., ac R. Universitatis Senarum ad tria publica experimenta in dictis Juribus extitit praesentatus, in quibus cum egregium doctrinae suae periculum fecerit, ac diu, diligenterque interrogatus, prompte, appositeque responderit, in omnibus ita se gessit, ut de ejus peritia nullum jam sibi superesse dubium Illmi DD. Provisor, Professores praedicti unanimi suffragio, nemine penitus discrepante, declaraverint, ac Laurea Doctorali insigniri consenserint.

Quapropter die XXVI. Junii currentis anni 1835. in Aula Palatii Nostri Archiepiscopalis, Juris Consultorum Collegio per nos convocato, coram praelaudato Illmo. ac Rmo. D. Vicario Nostro Generali, ac Illmis DD. Provisore, et Professoribus praedictis idem D. Candidatus emisit S. Orthodoxae Fidei professionem ad mentem Bullae PII P. IV., nec non Juramentum praestitit ad formam ejusdem Bullae, et deinde idem Illmus, ac Rmus D. Vicarius Generalis, ac Delegatus Noster, ea qua Nos pollemus auctoritate, sibi concessa, in Jure Pontificio, et Caesareo dictum D. *Angelum Mazzoni*

Doctorem fecit, decrevit, et declaravit, dans, atque concedens Eidem nomen, et titulum Doctoris, et in dictis Juri[illegible] potestatem docendi, legendi, magistralem Cathedram ascendendi, caeterosque doctoreos actus exercendi ubique locorum se duxerit conferendu[illegible]ssionem sui Doctoratus hujusmodi ab omnibus videretur adeptus Illmus D. Cancus Aloysius Nasimbeni Professor in praedicto R. Athenae[illegible] pra[illegible]a oratione, suo nomine, et aliorum Compromotorum, Laurea Eum exornavit, ac Doctoratus insigna gratiose ei tradidit. [illegible]n quorum omnium, et singulorum indubiam fidem, et testimonium, praesentes Nostras Litteras fieri, ac per Nos signatas a Cancellario Nostro subscribi, et sigillo Nostro, quo in similibus utimur impressione, muniri mandavimus.

Datum Senis ex Palatio Nostro Archiepiscopali hac die *tertia Julij 183quinto*

Joseph Archiepus Senarum [illegible]

Raf. Innocenzius Palagi Canc. Archiep.